Ad vander Burghium (72)

Si tardæ responsionis excusationem quæris, vide quam familiariter Barlæo nullam dedi, et quæ tua humanitas est vander Burghi, facile amicum vulgaris officii debito liberabis. de Carmine nihil dissimulabo, laudandus eo nomine es maximè, quod una cum eximio illo viro in scenam prodire aggressus es, quando ipsum in Manibus istis superasse te, non sentire mecum non potes. Quam autem laudem per te meruisti pravè de te sentiam, si hic obtrudam. Testabuntur alij, si tanti erit, ut inquiras quanti te faciam, et amicitiam tuam, cujus non vile testimonium puto, quod inter primos mecum egregios piosque animi foetus communicatos voluisti. Habe gratias quas habendas tibi censes. Ego is ero in perpetuum quem ingratus sis, si amare negligas. Vale Hagæ IV. Calend. Septembris 1625.

Valde tuus

C. Hugenius.

G. Barlæo. (73)

Iniquus es Barlæe doctissime, si vel te negligi a me suspicaris, vel egregios conatus tuos alio in pretio apud me esse, quam ea solent de quorum autoribus summam opinionem concepi. Illustre Panegyricum postridie quam a te accepi, Principi meo offerre non distuli presente viro nobili et erudito, qui a lectione Manium tuorum recens, insigni suffragio commendationes, quas virtuti ~~me~~ tuæ me debere putabam, humanissimè prosequutus est. Coepit seriò dolere Princeps, quod Latinæ linguæ peritiam nimis ignavè amisisset, qui olim Lipsii Admiranda et Militiam Romanam, satis commodè intellexerat. Quo se haud minus tamen humanitati tuæ obstrictum velle, id munusculo testatum fieri. Ea res dum inter summas occupationes differtur nimis, quam ego velim si meæ sponsis sit, certiorem omnium te faciendum putavi quæ ante acta sunt, quo de curâ ac sollicitudine meâ circa futurum æquior æstimator fias, neque sic in animo habere ~~[illegible]~~ me putes ad Scazontes tuos respondere, ut loco reciproci Carminis σκάζειν amicitiam meam velim. Absit Barlæe absit, et si quid de benignitate Principis mei novus minister spondere audeo [numquam] brevi te gratiori alloquio te digno compellaturus sum. Nunc vale et me ama. Hagæ 27° Novembris 1625.

C. Hugenius.

E vir Nobilis idem, cujus modò mentionem injeci, hactenus apud se detinuit Hodoiporicon istud, quod ego nupero Principis ~~[illegible]~~ itinere singulis diebus in album Calendarioli

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fol. 17v
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/288